

ter ea, quæ ex Florentina Synodo attulimus, adest S. Pii. V. Const. incip. *Romani Pontificis*, 13. Kalend. Septembr. 1566. in qua hæc leguntur verba: « quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, Latino more, et Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu Missas, et alia divina officia celebrare, aut celebrari facere præsumant. » Et Bened. XIV. Const. *Et si Pastoralis*, § 6. n. 10. Prædecessorum, ac Synodi Florentinæ legem inculcans, « Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, et Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, et facultatum, Missas, et alia divina officia, Græci Latino more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentorum prætextu, Missas, et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. » Deinde prohibet, ne Latinus Parochus pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, aut Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum « in quocumque Ecclesiæ suæ altari retineat, jubetque ut unusquisque Sacerdos non nisi in suo sive Græco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigat. » Præterea ne Laici Latini communionem sub specie fermentati a Præsbyteris Græcis recipiant, omnino interdicit; Græcis tamen Laicis permittit « ut ubi propriam Parochiam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi a Sacerdotibus Latinis sumere. » Hæc pro Græcis in Italia degentibus statuta sunt.

Atque hinc patet, *Primo* errare Ledesnam a Verricello citatum, qui censet teneri Latinum per Græcorum regionem transeuntem Græco more celebrare, ac Græcum Latino ritu in locis Latinorum: nam antedictæ Constitutiones sunt pro Græcis, qui sub Latinis Episcopis degunt, atque adeo in Latinorum locis. *Secundo* errare Suaresium, Vasquesium, aliosque apud Verricellum tit. 8, q. 188, qui asserunt, Sacerdotem Græcum qui perpetuum inter Latinos domicilium stabilierit, teneri ad celebrandum Latino ritu; nam Ecclesia præcipit proprium ritum sine Apostolicæ Sedis dispensatione mutari non posse, jubetque etiam eos, qui in Italia sub Latinis Episcopis fixum domicilium habent, proprio more Missas, aliaque divina officia celebrare debere. *Tertio* errare quoque Verricellum ipsum, dum loco citato ait posse Latinum Græco more, Græcum vero Latino ritu celebrare in locis, in quibus proprii ritus Ecclesiæ non adsint, quod possint sese loci consuetudini accommodare. Nam Ecclesia præcipit cuique proprium ritum ubique servare, ut diximus cap. 4. ac districtius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem ubique terrarum Missas celebrare debere. Neque Augustini consilium, quod habetur *Epist.* 128.

ad Januar. quo et mores eorum quibuscum vivimus sequi monemur, ad rem facit. Nam si quisque morem sequi posset Ecclesiæ, in quam deveniat, posset pro libitu ritum semel susceptum deserere, illumque amplecti, quem Ecclesia teneat, in quam venit: Id vero Apostolicæ Sedis auctoritate prohibitum est. Deinde Augustini regula ad consuetudines, legesque illas spectat, quæ a loco pendeant, quibus subjici debet quicumque in loco, ubi vigeant, versetur. At obligatio manendi in suscepto ritu, illumque servandi, qua ratione possit, et celebrandi Missas, et officia juxta propriæ Ecclesiæ morem, personas afficit, quæ suscipiendo Baptisma, vel Ordines, ex Ecclesiæ lege adstrictæ sunt ad perseverandum in suscepto ritu, ac more propriæ Ecclesiæ celebrandum. Vide in c. 4. quæ diximus de obligatione quam quisque habet manendi in semel suscepto ritu.

Ex iis optime concludit Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Ecclesia Græca, nec Græco in Ecclesia Latina azymo, etsi Populus diu deberet Sacrificio privari; et infirmus absque Viatico decedere; quia utilitas communis privatorum commodis præferenda est: ad communem vero utilitatem pertinet Ecclesiæ servare præscriptos ritus; et quia præceptum sumendæ Eucharistiæ in articulo mortis, et audiendi Sacri in diebus festis non obligat, nisi dum Sacrum celebrari possit, servatis legibus ac ritibus ab Ecclesia stabilitis. Igitur, ut Sacerdos non jejunos celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat Sacrum die festi, ita Sacerdos Latinus nequit in fermentato consecrare, contra Ecclesiæ præceptum, ut populus Sacrum audiat, vel ut morti proximus Eucharistiam sumat.

(12. In parando fermentato pane ad altaris sacrificium destinato magna est Orientalium cura, et diligentia. De Græcis scribens Christophorus Angelus homo ritus Græcænicæ peritus libello, quem Græce vulgavit, de præsentis Ecclesiæ suæ statu, « Panem, inquit, accipiet Sacerdos, quem vir, vel mulier aliqua, modo purus idem, mundaque eadem fuerit, die antecedente paravit. . . . antequam vero panis ille excoquatur, signaculum illi prius ligno aliquo, cui literæ hæc insculptæ, *Jesus Christus vincit*, imprimunt » Nec minor est apud Ruthenos diligentia, ut testatur Guaguinus. Æthiopes etiam mirabili quadam arte, et cura panem hunc præparant, teste Francisco Alvarez, *Peregrinationum Æthiopiæ* cap. 12. Jacobitæ denique, et Nestoriani, non secus ac Græci, Syrique Melchitæ, magno studio oblatitios fermentatos panes parare solent; fabulantur vero Nestoriani, vetus fermentum quo ad panem hunc præparandum utuntur, se ex majorum traditione ab Apostolis accepisse. Ad figuram quod spectat, Græci ut plurimum non rotundant, sed in quatuor ramos ad modum crucis extendunt, inquit Allatius; Orientales reliqui peculiari solent ac mystica hunc panem figura donare.

(13. Plerique solent oleum cum sale fermentato pani admiscere; qua quidem mix-

ture, si oleum panis naturam non mutet, inepta materia non fit. Consuetudo hæc apud Nestorianos et Jacobitas ex eo orta videtur quod oleo uti coperint, ut facilius massæ sigillum imprimerent eamque coactam facilius e fruxorio extraherent; sed progressu temporis ab imperita gente, fortasse etiam ut ritus sacer, hæc olei admixtio habita est. Exstat hæc de re decretum Cong. particulariæ de Prop. Fide, quod sequitur: « Relata instantia Adeodati Archiepiscopi Damasci, et ejusdem nationis Jacobitarum, pro facultate celebrandi Missam Ritu Chaldaico cum Missali Maronitarum, et una ex Liturgiis, quæ in eodem Missali fuerunt a Sede Apostol. approbatæ, introductoque in Congregationem prædicto Archiepiscopo, et mediante interprete, de pluribus circa materiam Sanctissimæ Eucharistiæ interrogato, Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, facultatem petitam esse Oratori concedendam, in juncto illi præcepto, ne oleum adhibeat cum durior fieri possit massa, in eoque sine oleo ut Græci faciunt, formam, seu sigillum, cum crucibus, et punctis duodecim Apostolorum, et 72 discipulorum significantibus imprimi, et in clibano coqui, loco fruxorii, in quo Jacobitæ suas solent hostias oleo litas coquere. Præterea Cong. jussit ut dictus Archiepiscopus, præsentibus Magistro Sac. Palatii. et Secretario Indicis, cum massa fermentata, et oleo, more suæ nationis, hostiam conficeret, ut posset experimento comprehendere, an oleum dictam massam ingrediatur, quod sequenti die idem Archiepiscopus fecit. Nam delata massa fermentata, oleo sinistram manum unxit, ut posset ab ea libere separari, et formam ligneam similiter unxit, in qua erant prædictæ cruces, et puncta pro sigillo imprimendo, ex quibus actionibus idem Magister Sac. Palatii manifeste cognovit, oleum non ingredi massam, et a Jacobitis adhiberi ob solas duas rationes, ut scilicet imprimi possit sigillum, et massa in fruxorio coqui; censuit tamen idem Magister standum esse in decisio, ut sine oleo massa durior effecta fiat ab Archiepiscopo hostia; nam sigillum facile imprimi poterit, si massa modica aspergatur farina, et deinde in clibano coquatur. » Sac. Congregat. P. F. 22. Junii 633. Atque hinc patet, merito doctissimum P. Berti de Theol. disc. lib. 33. cap. 5. Thesi 2. reprehendere Jacobitas ob olei in oblatione mixtionem, non vero eos, qui parum salis pani admisceant, tum ad conciliandum eidem saporem, tum etiam ob mysticam aliquam significationem: nam mixtio salis panis naturam non mutat, nec quidpiam Sacramenti venerationi contrarium secum fert: quamobrem tolerari debet, ubi ex antiquo tempore usurpari soleat; dum vero hanc mixtionem necessariam non habeant.

(14. Altera Materie Eucharistiæ pars est vinum de vite: sive album, sive rubrum, sive alterius coloris sit, apta materia est, cum non color, sed substantia liquoris ex uvis vitis expressi a Christo Domino stabilita sit hujus Sacramenti materia. Quod quidem notandum duxi, ut quisque intelligat, Mo-

scovitas in manifesto versari errore, si credant, ut Auctores nonnulli referunt, solum vinum rubrum aptam esse Eucharistiæ materiam. De vino duo disentienda offeret dubia Orientalis Ecclesia, alterum scilicet de consuetudine, quæ in Æthiopia, et apud Syros nonnullos viget, de adhibendo, ob vini penuriam, liquore ex uvis passis expresso; alterum vero de Armenorum errore, qui censent nefas esse vino modicum aquæ miscere; quibus et tertium addemus, de aqua fervente, quam Græci peracta jam consecratione in calicem mittunt.

(15. *Quæres I.* Utrum liquor ex uvis passis, et zebibo expressus licite, ac valide in Eucharistia perficienda usurpetur?

Nota 1. Fagundez præcept. 3. lib. 2. cap. 3. ita scribit: « Scio, in Æthiopia ex defectu vini assumere Catholicos, et Patres nostræ Societatis uvas non ita passas, et eas aqua superinfundere, quoad usque lentescant, et postea exprimunt; ex quibus fit vinum, in quo consecrant, satis generosum; et primus Auctor hujus rei fuit Sanctissimus Vir Andreas de Oviedo, Patriarcha ejusdem Æthiopiæ. »

Nota 2. An. 1703. die 14. Februarii propositum fuit dubium a P. Josepho de Hierusalem Ord. Min. Strict. Obs. ac Missionibus Æthiopiæ Præfecto, an liceat Missionariis celebrare cum vino ex zebibo, vel uvis passis expresso ut in Regionibus illis fieri solet? « Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem a dicto P. Josepho, quo præcise modo conficiatur vinum ex uvis passis, vel zebibo in Æthiopia; et postea iterum formari, et proponi idem quæsitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores, et successive in Congregatione coram Sanctitate Sua habenda. » Responsum deinde fuit a supra dicto P. vinum hujusmodi in hunc fieri modum: sumuntur ex gra. 4. libræ zebibi, franguntur, atque in apto vaso tunduntur, ac deinde totidem frigidæ aquæ libræ in idem vas infunduntur, eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea zebibi, vel uvæ passæ materia, æque ab exteriori aqua purgata, aut panno stringitur, vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo, sine ulteriori diligentia, utuntur, dum celebrant. Hac præmissa explicatione, fuit iterum propositum dubium; « ac lectis quoque relationibus Patris Joannis Damasceni Consultoris, nec non variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctissimus auditis votis Eminentissimorum dixit, licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo, vel uvis passis ex colore, odore, et gustu dignoscatur esse verum vinum; » S. C. S. Off. 22. Julii 1706.

Resp. His præmissis, ubi vinum desit, ut revera deest in Regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore, valide ac licite usurpatur, si tamen ex colore, odore, atque sapore censeri possit verum vinum; nam si liquor ex uvis de vite extractus esset æque iis qualitibus, deprehenderetur uvæ illas passas, vel zebibum ex decoctione non mu-

tavisse uvæ naturam. Quamobrem probare non possum Verricelli responsionem qui negative respondendum censet, « quia zebibum est adeo decoctum ab igne, ut non possit ex eo confici simpliciter vinum, sed vinum secundum quid, cum addito, nempe vinum coctum, seu sapa, » nam zebibum uva est, ignis, vel solis calore exsiccata; et si post infusionem in aqua, liquorem exprimat, qui colorem, odorem, saporemque servet vini; non video cur verum vinum censi nequeat, quod accidentario tantum ab illo differat.

(16. *Quæres* 2. An loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria; licite adhiberi possit tantum aqua?

Resp. Sac. Cong. S. Off. 14, Julii 1706, ad hujusmodi quæsitum propositum ab Episcopo Quebecensi, respondit, *citra maximam vini penuriam servandas esse pro viribus Rubricas Missalis Romani, præsertim in purificatione, seu prima ablutione*; dum vero tanta sit vini penuria, ut, nisi Sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent pluries ad non celebrandum, adhiberi posse solam aquam, declaravit Cong. de P. F. in responsione ad dubia proposita a Missionariis Sinensibus die 13, Januarii 1665.

(17. Vino parum aquæ miscet, tum Occidentis, tum Orientis Ecclesia. In Occidente id omittunt Lutherani, Calviniani, quod consuetudo sit non a Christo, sed ab hominibus orta, quodque præceptum, quod orthodoxa inculcat Ecclesia, Evangelicæ puritati, ac libertati adversetur. In Oriente vero aquæ mixtionem rejiciunt Armeni. In Conciliabulo supra citato, Monophysitas illos imitati sunt, quos Brunus appellatos fuisse censet Julianitas, et Gajanitas, qui ut Anastasius Sinaita renunciatus Antiochiæ Patriarcha anno 561, scribit: « Vinum merum sine aqua offerunt, ut exinde deprehendatur confiteri, Christum nuda et simplici Deitate constare. » Facile autem est demonstrare, Ecclesiam ad Christi imitationem Apostolorum ætate statuisse, ut vino parum aquæ misceretur, idque habitum semper fuisse, ut Ecclesiæ præceptum. Christum Dominum vino parum aquæ miscuisse ex eo liquet, quod dum Pascha celebraret more Judæorum Eucharistiam instituerit, ut etiam Armeni, ac alii Hæretici fatentur; at Judæi calicem paschalem aqua temperare solebant, ut constat ex Misna jod benedictione 7, ex Rabbi Maimonide, aliisque, et ex vulgari eorumdem antiquo more; *Proverbiorum* c. ix, et *Apocalypseo* c. xviii. Deinde Christum Dominum aqua calicem temperasse testatus est Irenæus circa medium II. Sæculi l. 4, *adversus Hæres.* c. 57, inquit: « Accipiens Dominus panem, suum esse Corpus confitebatur, et temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit; » lib. autem 5, cap. 2, « temperamentum calicis mixtum calicem vocat, » inquit Massuetus: et Cyprianus Epist. 63, ad Cæciliium III sæculo scripsit, « Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, » hoc est in calice vino aquam fuisse

mixtam; ut ipse ibidem explicat. Ergo primis sæculis Ecclesia credebat Christum aqua vinum temperasse. Morem autem hunc eam fuisse imitam testatur Justinus Apologia 2. « Deinde, inquit, ei qui Fratribus præest offertur panis, et poculum aquæ, et vini; » et testatur quoque Auctor Constitutionum Apostolicarum lib. 8, cap. 21, de Christo dicens: « Similiter calicem miscuit ex vino, et aqua sanctificavit, » etc. Et ut mittam alios PP. omnes antiquæ Liturgiæ Jacobi, Chrysostomi etc. hujusmodi mixtionis ritum præscribunt; illumque servandum præcipere Concilia, Carthaginense III, ann. 397, celebratum; Trullanum supra citatum, Florentinum et Tridentinum, quod sess. 22, cap. 7, ait: « Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi B. Joannis Populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio representatur. » Cum res ita se habeat, palam est, Ecclesiam consuevisse semper, et ubique vino modicum aquæ miscere, idque non pro re indifferenti, sed præcepto habuisse.

(18. Græci præter frigidam aquam, quam ante consecrationem solent vino miscere, ante Eucharistiæ sumptionem ferventem aquam infundunt in calicem, « ut scilicet sanguis, et aqua, quæ fluxerunt a sancto latere Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivifica esse constat veluti ex vivifico deificato corpore vivifica, » ait Balsamon in Resp. ad quæsitum Marci Patriarchæ Alexandrini. Mixtio hæc damnari non potest: tum, quod antiqua sit, ac a Sanctis Patribus commendata: nam præscribitur in Liturgiis Basilii et Chrysostomi, ac laudatur a Nysseno *Orat. cathec.* 1. c. 37. a Theodoro dialogo primo inscripto: *Immutabilis*, a Damasceno lib. 4. c. 14. atque ab aliis Patribus: tum etiam quia, Const. *Et si Pastoralis* § 6. num. 2. Græco-Italis « permittitur, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in sacrum calicem infundere. » Quamquam id Græcis permissum est; tamen error non caret Photiani, qui Latinos, ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accusant; nam ritum omittendo particulari Ecclesiæ præscriptum, non negant, nec improbant id quod Ecclesia per illum ritum significare contendit, ut illi perperam arbitrantur.

§ II. De Forma.

(19. De forma Eucharistiæ ex Orientalium Liturgiis Missionariorum gratia disputatur, plura, quæ sunt a nostro Auctore prætermittenda, et quæ in vulgaribus Theologis desiderantur, proponere atque explicare cogor. Primum enim Christi verba, quibus unice Eucharistia conficitur, et quorum ne unum quidem sine gravi culpa omittere fas

est, aliter in illis Liturgiis se habent, ac in nostra Latina, et in plerisque verba nonnulla desunt ex iis, quæ in Calicis consecratione usurpamus. Deinde in illis post Evangelica, et Christi verba, invocatio habetur Spiritus Sancti, quæ preces in omnibus Liturgiis connexas habet, quibus Sacerdos Deum rogat, ut super oblata dona mittat Spiritum Sanctum, qui super illa descendens, panem in Corpus, et vinum in Christi Sanguinem transmutet. Denique tres apud Syros Jacobitas Liturgiæ reperiuntur, in quibus Christi verba desiderantur, quarum 1. est quæ Petro Apostolorum Principi tribui solet, alter Xysti Papæ, ac tertia Dionysii Metropolitæ Adimeni dicitur. Atque hinc tria oriuntur dubia: 1. Num Orientales omnes Christi verba ad consecrandum Eucharistiam necessaria existiment? 2. Num necessariam saltem putent una cum Christi verbis invocationem, ut Eucharistia perficiatur? 3. Num Orientales Christi verba teneantur recitare, ac in Liturgiis ponere, ea ratione, qua in Canone Latinorum reperiuntur? Hujus autem quæstionis necessitas ex eo pendet quia communis apud Theologos nostrorum opinio est, non posse sine gravi culpa ex verbis illis vel unum omitti: et quia nonnulli Thomistæ putant, omnia, quæ in Calicis consecratione nos adhibemus verba, esse ad consecrandum necessaria. Accedit etiam fuisse nonnullos, qui hac de causa non solum Orientales reprehendere, sed eorum Liturgias sua corrigere auctoritate ausi sint.

Inter Orientales circa hujusmodi controversiam, minora fuere, ac inter Latinos, dissidia. Nam omnes semper fassi sunt, ac etiam nunc fatentur, Christi verba *Hoc est Corpus meum*, etc., *Hic est Sanguis meus*, etc., esse ad Eucharistiam consecrandam necessaria; et sine ipsis perfici non posse. Item unanimi semper consensu docuerunt, præter Christi verba preces quoque nonnullas in Eucharistia conficienda semper adhibitas fuisse, ac sine precibus fieri non posse; quæ quidem sententia omnibus Patribus, ac Theologis omnibus probata est; cum nec unquam hujusmodi Sacrificium sine precibus fieri consueverit, nec fieri licite in ullo casu possit. At Nicolaus Cabasilas, et post ipsum Marcus Ephesinus, alique pauci, non solis Christi verbis, sed etiam invocatione Spiritus Sancti, sive precibus ea comprehensis, Eucharistiæ Sacramentum confici tradiderunt: En Marci Ephesini verba: « Divina munera, inquit, non solum recitatione verborum Dominicorum sanctificantur, sed et Sacerdotis quæ sequitur, precatione, et benedictione per virtutem Spiritus Sancti; scilicet, verba Christi, ut ipse exponit, per modum narrationis sunt, nosque ad memoriam rei, quæ tunc gesta fuit, revocant, et vim quasi imittunt in dona proposita, ut transformentur: precatio vero, quæ postea consequitur, et benedictio Sacerdotis revera transmutat, quæ jam erant dona, in ipsum prototypum Corpus, et Sanguinem Domini. » Huic opinioni occasionem dedit invocatio, quam in Orien-

talium Liturgiis Evangelica, et Christi verba consequi asseruimus, et nonnullæ haud bene intellectæ Patrum sententiæ, quæ per Christi verba, et orationem hujusmodi Sacramentum fieri pronunciant.

Duo quoque apud Latinos fuere XVI. Sæculi viri eruditione, et doctrina celebres, qui in Cabasilæ abiere opinionem, alter o Dominicanorum, e Franciscanorum familia alter. Scilicet Ambrosius Catharinus Ord. Præd. et Christophorus a Capite Fontium Ordin. Min. Generalis Minister, ac postea Archiepiscopus Cæsariensis. Ille enim, ut Novatorum circa verba Christi cavillationes, et argutias devitarent, ac penitus everterent, pleniorumque facerent Catholicis dogmatis de Eucharistiæ consecratione explicationem, et intelligentiam, rati sunt, Eucharistiam Christum benedictione prius consecrasse, ac benedictione illa pane in Corpus suum transmutato, accepisse illud in manibus, ac dedisse discipulis, dicendo: *Hoc est Corpus meum*; atque eadem ratione calicem consecrasse. Sacerdotes vero deinceps Eucharistiam confecisse docuere per orationem Evangelicis verbis præmissam in Latinorum Liturgiis, quæ incipit: *Quam oblationem tu Deus*, etc., Evangelica vero et Christi verba narrative tantum proferre, non significative, et effective, licet ex Christi mandato necessarie sint pronuntianda. « Fit ergo, inquit Catharinus, Corpus Christi, propter orationem præmissam, et ex vi pacti; et sic defenditur mos Græcorum. » Pactum vero in eo situm arbitrabatur, quod Christus promiserit, toties se præsentem in Eucharistia adfuturum, quoties Sacerdos verba sua *Hoc est Corpus meum*, etc., ea ratione, ac ordine, et modo pronuntiaverit, quo ipse pronuntianda constituerit. Itaque ut Christus benedictione consecravit, ita oratione consecrat Sacerdos, qua rogat, ut panis fiat Corpus Christi et vinum Sanguis; et ut Christus dicendo, *Hoc est Corpus meum*, corpus suum id esse demonstravit, illudque discipulis præbere ostendit; ita Sacerdos facit. Hoc autem discriminis Christophorum inter ac Catharinum intercessit, quod hic interna tantum, ille vero externa quoque benedictione, ac ministerio Sacerdotali Christum consecrasse asseruerit.

Horum opiniones, damnatis ab Apostolica Sede opusculis, quibus tradebantur, veluti sepultæ jacere; sed hoc eodem sæculo a Gallis nonnullis excitatæ, magno argumentorum apparatu expositæ, ac propugnatae fuere a Petro Le Brun, in expositione Liturgiæ Armenorum; et ab Antonio August. Toutée d. 3. præmissa operibus S. Cyrilli. Ille vero in hanc se abiisse opinionem testatus est, ne dogma Catholicum de *Transsubstantiatione*, validissimo illo argumento privaretur, quod ex invocatione desumitur, quæ in Orientalium Liturgiis reperitur. Fuere ii ex professo confutati a P. Bougeantio Jesuita, ab Ursio, Merato, Georgio Assemano juniore, aliisque (1). Hæc quantum ad opinionem a Cabasila excogitamam.

Inter Latinos vero aliæ quoque occurrunt

(1) Non omittam inter Auctores, qui Lebrunii, et Eusebii Renaudotii paradoxam de forma consecra-

hac de re opiniones, quas recensere, ac confutare necesse est, ut Systema hac de re absolutum exhibeamus; Innocentius III. in opere de Mysteriis Missæ, quod ante Pontificatum ediderat, lib. 4. cap. 6. ait: « Dici potest, quod Christus divina virtute confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis. » In eadem sententiam abiit Durandus Mimatensis lib. 4. de divinis Officiis, alique, quos Catharinus, et a Capite Fontium laudant, ac veluti propriæ opinionis assertores proponunt.

Aiunt nonnulli, Scotum in 4. dict. 8. q. 2. ad 2. docuisse, hæc verba *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, ad consecrationem non sufficere, sed præcedentia necessario addenda esse, alioquin verba illa personam loquentis, non ad Christum, cujus nomine proferuntur, referrentur; sed Marius, Frassenius, Hennis, alique Scotistæ, Scotum a communi sententia non recessisse demonstraverunt.

Rursus quamplures Theologi sunt, qui contendunt, S. Thomam omnia verba, quæ a Latinis in calicis consecratione recitantur, necessaria existimasse ad conficiendum hoc Sacramentum, pro qua opinione pugnant Gonetus, Capisuccus, Natalis Alexander, alique Thomistæ.

Armacanus ait lib. 9. q. Armenorum cap. 3. hæc esse in consecratione Calicis necessaria: *Hic est Calix sanguinis mei, novi, et æterni testamenti*, non vero reliqua. Alii, Marsilio teste, addendum putant, *mysterium fidei*. Hæc quantum ad opinionum historiam. Antequam ad rem definiendam descendamus, operæ pretium esse arbitror, Evangelica, et Christi verba referre, qua ratione in probatis Liturgiis recitantur, ut inde facilius intelligamus, quæ fuerit hac de re Ecclesiæ a primis temporibus sententia. Mitto vero tres illas Liturgias, quas supra dixi, in quibus Christi verba desunt. Cum enim omnium sit, ac fuerit semper Orientalium sententia, hæc esse omnino saltem ex Christi præcepto ad consecrandum necessaria, omissio illa, vel amanuensium incuriæ tribuenda est, vel ea de causa fuisse in iis illa prætermittenda verba, quod ea Sacerdotes memoria tenerent, ac recitarent.

(20. En itaque verba juxta formulas a Martenio collectas. In Liturgia Jacobi ita forma hæc exprimitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, et datur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Addit Liturgia S. Marci post pronomen *Hoc*, et *Hic particulam enim*. In Constitut. Apost. 8. cap. 17. hæc forma reperitur, *Hoc est Corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Hic est Sanguis meus, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. In Liturgiis SS. Basilii et Chrysostomi post *Sanguis meus*, additur *novi testamenti*;

tionis doctrinam refellerunt, præclarum P. Joannis de Benedictis Antirrheticum ex S. Ephremi Romana editione recensum cit. tom. 10. *Zachariam Thesauri Theologici* p. 625. (EDIT. BARBIELL.)

ac similis est Liturgia Cyrilli. Æthiopes utrique formulæ addunt *Amen*. Mozarabes hæc utuntur; *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. In Libris Sacramentorum, qui præ se Ambrosii nomen ferunt, ita legitur: *Hoc est enim Corpus meum, quod pro multis confringitur. Hic est enim Sanguis meus*. Sacramentarium denique Gregorii Magni, Missale Romanum, Ambrosianum, et Indorum (hic addendum erat post correctionem) hanc habent formam: *Hoc est enim Corpus meum. Hic est enim Calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. In Liturgia communi, sive canone universali Æthiopum habetur: *Hic panis est Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, Amen. Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur pro redemptionem multorum, Amen*. Iisdem fere verbis alia Orientalium Liturgiæ eadem exhibent formam. Facile vero patet undenam eorum sit orta varietas, si ea observentur, quomodo ab Evangelistis recenseantur. Apud Matth. legitur, *Hoc est enim Corpus meum, Hic est enim Sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Apud Marcum utroque in loco omittitur particula enim. Apud Lucam: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; Hic Calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Paulus autem I. ad Cor. 11. ita illa refert: *Hoc est Corpus meum; Hic Calix novum testamentum est in meo sanguine*.

Has ego formas recensui, easque cum Christi verbis comparavi, quæ apud Evangelistas leguntur, ut inde clare appareat, non posse Orientales reprehendi, quod in forma eorum desit particula enim, et quod in consecratione calicis non omnia adhibeant verba, quæ apud nos usurpantur. Atque inde duo quoque alia certo inferenda videntur. Primum Christi verba, quæ in Orientalium Liturgiis leguntur, esse ab Evangelistis deprompta, quod sane satis superque esse potest ad illorum Theologorum detegendam imperitiam, et temeritatem, qui corrigere, et ea augere propria, ac privata auctoritate sua conati sunt. Quis enim sine temeritate verba ex Evangelio deprompta, Patrum auctoritate commendata, et Liturgiarum usu a primis sæculis comprobata, emendare, ac mutare audeat? Deinde rite, ac licite Orientales per illa verba consecrare, nec cogi posse ad alia, quæ in Liturgia nostra reperiuntur, addenda. Quibus accedit etiam, ex iis nos posse tuto concludere, non aliis esse inditam vim consecrandi verbis, quam istis, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus, vel Hic est Calix Sanguinis mei*, non solum ob communem Theologorum sententiam Tridentini Concilii auctoritate comprobata, quod verba Sacramentorum formam constituentia efficere docet quid significant, ut est etiam a nostro

Auctore probatum, sed præterea, quia hæc unice sunt verba, quæ a Patribus omnibus commendantur, ac in omnibus reperiuntur Liturgiis: quod argumentum est, fuisse hæc semper, et ubique veluti necessaria ad consecrandum reputata, alia vero historice, et ex præcepto tantum Ecclesiæ adhibita. Hic tamen moneo, præceptum hujusmodi, cum de re gravissima sit, gravem obligationem inducere; quo fit, ut graviter peccet, qui vel unum ex iis, qui in jam probatis Liturgiis habentur, libere prætermittat. Venio nunc ad nostrum hac de re Systema per propositiones explicandum.

PROPOSITIO I.

Christus verbis usus est, non interna tantum benedictione, dum Eucharistiam consecravit.

21. Primum hæc assertio inde probari potest, quod Sacerdotes ea ratione consecrant, qua Christus hujusmodi Sacramentum in institutione perfecit. Iis enim, quod prior ipse fecisset, deinceps facere præcepit, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*; Sacerdotes vero per verba consecrant, et quidem ita consecrant, ut verba Christi, Christi nomine, ac veluti illius personam gerentes, pronuncient, dicendo: non: *Hoc est Corpus Christi*, sed: *Hoc est corpus meum*. « Hinc, quid nostra consecratio est, inquiebat Chrysostomus Hom. 83. in Matth., nisi illius repetitio, quam Christus peregit? »

Deinde Christus Sacramentum instituens: qua Deus, et conficiens, qua homo erat, Sacramentalem ritum instituere, ac adhibere debuit, hoc est materiam, et formam adhibere, junctis scilicet pani verbis; *accedens enim verbum ad elementum fit Sacramentum*, inquit Aug. Tractat. 80 in Joan. Accedunt præterea Auctoritates Sanctorum Patrum, quas infra recensebimus. Hinc Tridentina Synodus sess. 13. cap. ita de Eucharistia loquitur: « Hoc admirabile Sacramentum in ultima cena instituit, cum post panis vini benedictionem, se suum Corpus præbere, ac suum Sanguinem disertis verbis testatus est, quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, a divo Paulo postea repetita sunt. » Satis hic indicant Tridentini Patres, post benedictionem panis, vini, quæ verba proferendo, instituisse, ac perfecisse Eucharistiam.

At, inquiunt, benedictio idem ac consecratio est quamobrem Paulus 1. ad Cor. ix. v. 14. *Calicem benedictionis*, vinum consecratum appellavit; et dum Christus dixit, *Hoc est Corpus meum*, jam antea panem in suum fuisse Corpus transmutatum significavit: ergo per præmissam benedictionem ab Evangelistis commemoratam, dum dixerit: *Accipit panem, benedixit*, etc.

Sed levis est momenti hæc conjectura. Cum enim Christus Sacramentum instituerit, et confecerit, illudque nobis ad sui imitationem perficiendum mandaverit; et verba adhibuisse, ut Sacramenti natura exposcit, et verba talia, quæ rem significatam efficiant, præsumendum est. Quæ sola præsumptio plus quam illa conjectura, valet. At præ-

terea verba ipsa ab Evangelistis commemorata habemus, quæ id significant, quod in Eucharistia fit, quæ semper fuere a Sacerdotibus usurpata, quæque adhibuisse Christum, testantur veteres Patres, ac omnium Ecclesiarum traditio comprobata. Itaque benedictio, et gratiarum actio ritus fuere a Christo institutioni Eucharisticæ præmissi, non consecratio: id ostendit vox aoristica in Evangelica historia usurpata *εὐλόγησας*, id est *cum benedixisset*, et *εὐχαριστήσας* scilicet *cum gratias egisset*, quæ præteritum tempus significant; liquet etiam ex eo, quia Christus in ultima Cæna ritus servavit Judæorum, qui cænæ benedictionem præmittent, et panem cum gratiarum actione frangebant. Hinc Estius, alique viri gravissimi improbabilem omnino putant opinionem, quæ benedictione Christum consecrasset autumat, et in 1. ad Cor. cap. 1. post Jansenium observat, Jesum magna aggressurum miracula in Cælo oculos elevare, ac Patri gratias agere consuevisse, ut præstitit suscitaturus Lazarum, et panes multiplicaturus. Rursus non desunt, qui eisdem verbis benedictionem, et consecrationem a Christo peractam putent, quod passim Patres consecrationem, et *mysticam benedictionem* indiscriminatim accipiant: ut S. Thom. 3. part. q. 87. art. 1. ac alii post ipsum; et revera, quod consecratur, cœlesti benedictione repletur. Si autem iis opponas, fuisse benedictionem consecrationi præmissam, respondent, non semper Evangelistas res narrare, quo gestæ sunt ordinem, ut pluries observavit August. lib. de Cons. Evang. Ad tollendam vero æquivocationem necesse est duplicem distinguere benedictionem, alteram pro oratione usurpatam sacris muneribus consecrandis facta, quam Christum more Judæorum Pascha celebrando præmississe puto, et quam a consecratione diversam habeo: alteram vero, quæ mystica dona immutat, redditque sancta, benedicta, vivifica; quæ ipsa consecratio est, quam innuit Paulus, loco supra laudato.

Nota. Et si vera est hæc nostra sententia, ut ego arbitror, præsertim ob Tridentini supra relata verba; ac Concilii Florentini decretum, quo verba, quibus *Christus hoc Sacramentum confecit*, hujus Sacramenti forma declarantur; tamen nulla Ecclesiæ aperta definitio adest, quæ oppositam opinionem proscripserit. Id testantur Ambrosius Catharinus in fine opusculi 2. Alphonsus Salmeron, circa finem tract. 13. Juvenin, Tournely, Du Hamelius, Berti, alique. Nec est verisimile, Ecclesiam voluisse damnare opinionem, ad facilius refutandos Hæreticos excogitatam, et quam Innocentius III. supra citatus probabilem asseruerat, ac propugnans Guido Bononiensis, Durandus, alique a Catharino, et Capite Fontium recensiti.

PROPOSITIO II.

Eucharistiæ forma Christi verbis continetur.

(22. Hæc propositio, quæ paucos ex Orientalibus, ex Latinis vero minores adversarios habet, potest primum ex eo demonstrari,